

IN DIVI
HIPPOCRATIS

LAVDEM PRAEFATIO ANTE
Eiusdem prognostica, per IANVM COR/
NARIVM Zuiccuïen. habita
BASILEAE.

M. D. XXVIII. CALEN. DECEMB.



DOCTISS. AC ELOQVENTISS. IVRIS
consulto D. Bonifacio Amorbacchio Ianus
Cornarius, S. D.

EN legendam tibi quoque orationem nostram, cuius tu audiendae frequenti adeo doctis. Gymnasium uestri hominum multitudine autor fuisti: non dubito autem prudentius postea te tibi cauturum, ubi uideris tibi pariter, tam saepe cum amicis tam nouis etiam rubescendum esse. Expectabas autem ampliora, rogo tibi mi Amorbacchi, ab homine longa iam peregrinatione apud barbaris. Liuoniorum ac Rutenorum gentes à litteris omnibus abalienato? Ego mea nulla esse scio, sed tamen quiduis potius committam, quam ut in amicorum, & maxime tuam gratiam uideri queam segnius uoluntatem animi mei declarasse, etiam si ineptendum sit mihi, cuius rei egregium exemplum hic designaui, sed non omnino, ut puto, inepte. Vale.

IN D. HIPPOCRATIS LAUDEM PRAEFATIO
ante eiusdem prognostica, per IANVM
CORNARIUM Zuiccauiensem. habita
BASILEAE.



SCIO equidem nomen nostrum in bonis studiis obscurius esse, ornatius uiri, ac studiosi iuuenes, quam ut eius splendore excitatos uos putem, quo eius agnoscendi gratia huc prodieritis. Quum autem & studiorum, & morum admiranda plane turba Christianum maxime orbem exagitet, ita ut & hi qui ad insignem aliquam studiorum, integritatis, ac religionis famam peruenerunt, de nomine hodie periclitentur, si atque ferè, ut propius metam meliorum studiorum putentur attingisse, qui ita absunt, ut ne à limine quidem unquam adgressos esse constet: Longe fallimini si tale quicquam animis uestris de me concepistis, tanquam qui cornicum oculos configere aut uelim, aut possim. Non est enim ea eruditio, neque compar eloquentia, neque etiam unquam istos studiorum motus ac iactationes amaui: adeo autem ab omni semper ostentatione abhorruì, ut libenter passurus sim longe infra dignitatem (cuius opt. cuique semper magnus respectus fuit)
A 2 omnia

(5) 1680 2731



VNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

CRÉDITOS USABLES

omnia mea poni, modo uobis persuadeam, me ex hoc loco, quo apud uos dicturus satis confidenter ac temere prodij, nihil aliud spectasse, quæ ut celeberrimo gymnasio uestro, ac studiosæ adolescentiæ, proposito aliquo studiorum medicorum exemplo, publice sim & ornamento & utilitati. Quod si mihi creditis, nihil opus habeo apud purgatissimas aures uestras amplius me excusare, tantum si à uobis impetrem, ut patienter me feratis, planius ac rudius interim consilij mei rationem uobis expositurum. Medicinæ ut saluberrimum, sic longe gratissimum studiũ, omnibus seculis, apud omnes etiam nationes, omnibus hominibus semper fuit, ex eo tempore, quo primum cœpit, maxime ubi artem omnium nobilissimam non impudentes ac ignari homines uenditarunt: nam si talium nomine aliquando male audiunt, id adeo arti derogare non debet, ut nec alijs studijs rite imputatur, si qui sint qui ad ea perdiscenda ineptiores se conferant, aut impudētius prostituunt postea. Quæ autem ars omnino est, quæ non ineptissimos multos semper habuerit sectatores: ac peiores deinde artifices? Quos propter si quis uelit artem ipsam minoris facere, non uideo quæ possit facile reliquis præferri. Quare nihil proferam eorum, quæ alij magnificis ac splendidis orationibus in medicinæ laudem protulerunt: hoc unum in uotis habeo, non temerarium uideri me uobis, qui eius studiosos qualicumque ratione, certe excellētis

tis alicuius rerum medicarum scriptoris professione, à me publice exhibita, uelim fieri instructiores. Adsumpsi autem Hippocratem, talem autorẽ, ut dubitem laudibus ullis uehendam medicinam, si eius uiri (si uir modo & non numen potius credendus est) scripta non extarent. Quod si uelim oratione mediocri saltem, qua satis tenuiter etiam polleo, palàm facere, multorum dierum spatio, quantumuis etiam cupidum ea audiendi auditoriũ delassare, ita ex singulis eius scriptorũ uerbis elucent insignia quædam dogmata, quæ postea plerisque non ignobilibus quoque medicis singulos libros conscribendi ansam dederunt. Quæ si è medio sublata essent, fortasse non immerito in calumniam medicina incidere, quum plerique extant hodie medicorum libri, propter quos non tantum uilescere ars medica possit, uerum etiam ex omnibus theatris, publicis ac priuatis conuentionibus explodi ac eijci. Quanquam quantum reliqui fuit nobis, multis iam seculis, ex doctissimis Hippocratis scriptis, quum constet plurima ex corruptissimis Græcis exemplaribus longe corruptius latine nobis redita, non infideliter planè, sed tamen minus latine, ac propterea etiam obscurius. A qua culpa tamen temporum ratio ueteres interpretes facile defendit. Quid autem recētioribus ac coæuis nobis gratiæ debere nos fatebimur? quorum quidam adeo nuper Hippocratem ita nobis latine exhibuit, ut longe amplior uenia anti-

A ; quioribus



quioribus translatoribus pateat, postquam hic uide-
tur in totum ab *αυτογράφω* & Græco exemplari de-
lyrare. Quod ne cui penitus fingere uidear, cupiam con-
ferri à doctioribus, quæ in uniuerso *ἑπιστημιῶν* opere,
(ut in reliquis nihil requiram) is præstiterit. Videbunt
nimirū non cuiusuis esse, tā excellētem autorē intellectu
adseq, nedū iactare audeat quis, se id præstuisse, quo
latinis hominibus pristina exuta barbarie, Hippocra-
tes eorum lingua pure loqueretur. Quanquam uenia
quoq; & hunc dignū putarem, si uel leuiter lecturos
commonuisset fidei suæ, & ordinis, neque in uertendo
nouo adeo & inaudito diuinationis genere esset usus.
Illud ipsum enim *ἑπιστημιῶν* opus, aut temporum in-
iuria uitiatum esse, aut admirando planè consilio ab
Hippocrate conscriptum esse necesse est, quum mera
ænigmata, Oedipodionis etiā obscuriora omnia es-
se uideantur. Quod nisi præmoneat interpret, nō scio
cur fidem translationis reperire debeat, aut cur tādē
interpretis nomen mereatur. Verum Hippocrati suū
quoddā iudicium in his libris fuisse demus, quod ne-
que ex doctis. Galeni scriptis nobis satis manifestum
est, quale id fuerit: nobis sanè apud studiosam rei me-
dicæ adolescētiam, mētionem eius aliquam facere pla-
cuit, ut ad huius scriptoris sacratis. libros cautius ac re-
uerentius accedant, ut cunq; eorum usus confidenter ac
satis

satis temere etiam in publicis scholis traducatur. Quæ
reuerentia debetur uel in primis, plenis bonæ frugis hu-
ius autoris Prognosticon libris, in quibus talia quædā
insunt, quæ nisi accurate introspicias singula, possint
uideri anicularum delyramētis non dissimilia. Sed ab-
sit ut in hoc uiro aliquid citra summā impudentiæ suæ
notam cuiquam suboleat. Eiusmodi enim in his libris
tractatio est, ut ullum aliquem medicum esse non cre-
diderim, q uilli corpori ex acutis morbis infestato pos-
sit mederi, nisi singulorum tractatorū, in singulas adeo
horas, ac temporum etiam momēta habeat respectū,
ac diligentis. sit obseruator. Quare potissimam omni-
um causam uideri uobis uelim, cur Prognosticon li-
bros ex omnibus selegerim uobis prælegendos. Quod
sine horum cognitione omnem medici operam frustra-
tam ac cassam iudicem, quorūcunq; tandem scriptorū
doctrina fulcitus ægrum accedat. Atq; ob id ausculta-
re diligentius, uos rerum medicarum studiosi iuuenes
hortor, quæ de toto opere sim pronunciaturus. Nam
ea talia erunt, ut ad futuram prælectionem, non solum
animum studiosis augere debeant, sed etiam uiam
præstruere, qua facilius ad rem omnem possit perueni-
ri. Vos uero ornatiss. uiri rogo: ne quid molestiarum
concipiatis, dum uestra benignitate diutius abutor, at
que interim eius, qui in studiosorum commodū insti-
tutus est, sermonis tœdia benigni nobis deuorate, atq;

A 4 ut



ut hinc ordiar: Nō malus putandus est artis suæ magister, qui & breuiter, & lucide, & apte, ac interim nihil necessariorū relinquēs artem suā tradit. Id uero si totū Hippoc. in his libris fecisse cognoscitur, dignū omnibus modis iudicamus, qui solus in hoc negocio ac argumento tradendo ab omnib. studiosis legatur, & cuius dicta instar oraculorū & reuerēter petantur, & studiose ab omnib. expleant, quū adeo humani corporis ex morbis languēfactati, uniuersa salus ex his solis dependere uideatur. Atq; hic uide mihi mox à principio diligentis artificis curam, q̄ circa opus suū, nimirū corpus ægrū, tractandū curiose adeo de tēporib. & quod præcessit, & qd̄ iā adest, quodq; sequuturū sit, omnia profert, quæ debeant animaduerti, ut nihil relinquat, siue ex euidēti & terrena causa, siue coelitus traxerit originē morbus. Mox deinde ad corpus ipsum p̄grediēs omnia in ipso præscribit signa, unde præiudicare possis, quid circa infirmū sit postea futurū: hic faciē atq; singulas eius partes, oculos, nares, dentes, frontē, palpebras, tempora, aures, ordine digesta omnia habes, secundū singula tēpora, siue uigilet, siue dormiat æger, ut certo possis præcognoscere, quid de infirmo sit sperandum. Subdit deinde uniuersi corporis habitū ac decubitus, ceruicē, uentrē, manus, pedes, ex quorum cōsyderatione prædicere liceat morbi ipsius malignitatem. Post uero ad accidentia transit, quæque ex illis prælagiri queant

queant, pertractat, hic spiritus siue anhelitus rationem, sudorem, iliorum dolorem, animi angustiam, ac mentis alienationem, abscessus, fluxus sanguinis undecūq; manātis, & saniei siue puris cōsyderationē uidere est, quæ omnia nisi diligenter planē obseruet medicus, haud dubie fallitur, seipsumq; ac gloriam artis faciet uiliorem. Audistis ferē ea quæ primo libro traduntur, non dissimilia his in secundo refert: quanquam ut planē diligentis, hominis *επιλανθωπισμῶν* amplius cognoscamus, non solum externorum signorum diligens est spectator, uerum ad ipsa etiam excrementa corporis omnia, adq; ipsius uesicæ ac alui egestiones se demittit: qua certe re ut nihil sordidius uulgo iudicatur, sic nō scio artem, quæ melius de humano genere mereat quàm medicina ipsa, quæ nihil eorum sordidū putat, quæ ad hominis cōseruationem plurimum ualere censet: ea autem sunt in primis urina ac alui retrimēta, quorū indicium quū ad singulos morbos cognoscendos minime p̄tingat (siquidē alterius in primis super epatis & uenarū, alterorū super stomachi & intestinorū dispositionē iudicatio existit) nō cūctanter mox adhibet sputi ac uomitus indicia & prælagia, quū morbi qui circa os stomachi, in thorace, pulmone, ac costis existāt, ex nullis alijs indicijs aut cognoscantur, aut finiantur. His autem adponit de extremarum corporis partium peritimescenda ac læthali frigiditate, maxime ubi pudibū

A s da



da incipiāt frigore cōtrahi ac imminui, ut ea quæ aliàs natura ac homini ingenitus pudor, ab oculis longe remota uoluit, non tamē medicum laterent, ut inde uniuersi corporis præscientiam salutarem colligere posset. Et iam post multa alia, quæ circa ægrum ac uirtutis cōstantiam tradit animaduertenda, ad tertium trāssilit librum, in quo ut longe difficillimam dierum criticorum obseruationē perscribit, ita nihil in uniuersa ferè re medica existit, quod tam admirandos, & quasi diuinos nos medicos uideri efficiat, quàm ex diebus, quibus se Criticos morbi signa promunt, iusta computatione facta, uel salutis uel mortis prædictio. Sed quotus ah quisquæ est hodie qui talia curet, Non medicorum saltem incuria in hac parte plurimum delinquitur, sed & ægrorum oscitante negligētia peccatur, qui nulla obseruata morborum accessione, serius ferè, & ad iam desperatū malum, medicum accersunt, ut uere stupendum ac dolendum sit, cuiquam esse tam uilem sanitatis suæ ac uitæ rationem. Verum Hippocrates quū circuituum ac accessionum ipsorum morborum certos dies enumeret, ex quibus alijs quidem sanitas, alijs interitus prædicqueat, quaternarij tamē dierum numeri intuitionem ut sacram penitus religiose spectādā proponit. Nō relinquit deinde quæ in singulis febrium generib. debeant prospici, maxime ubi apostemata & abscessus quidā externi uel interni adpareant, ex quorum indicatione

tione, morbi sæuiciam liceat æstimare ac præscire. Ea quæ omnia quum diligentiss. persequutus est, ne fides auctori derogetur, adponit & in Africa, & in Europa ac Asia quoque, uniuerso uidelicet terrarū orbe, sibi omnia illa esse cognita & experta, ne quis tanquam uana explodere præsumat. Hunc ergo autorem tanta fide, ac experientia rerum, tam commoda, tamque necessaria dogmata nobis tradentem, ecquid non reuerēter suspicimus? Cur non obujs ulnis ac extentis manibus amplectimur? Cur non totam, uel saltem plurimam ætatis partem in eo perlegendo conterimus? Ego sanè persuasi mihi, unum esse Hippocratē, cuius scripta certa, uera, ac sancta à medicis amplecti, ac reuerenter coli deceat, quum nihil maiori commodo, aut ampliori iucunditate unquam attigerim, à quo primum me huic studio concredidi, nec etiam in ullo autore spero suauius mihi fore consensescere. Cuius rei testimonium iam sit mihi, quòd iuuandi uos studio, uobis studiosi adolescentes, hunc tãquam perfectum & absolutum rei medicæ exemplar, prælegēdum proposui. Vestrum igitur erit benignitatem meam, alacritate quadam audiendi, ac discendi cupiditate, deinde semper amplius prouocare ac augere.

Dixi.





FRO BEN.

